

Exercitationes medicae de myrrha, locustis, jejunio Christi, Christo medico, lunaticis, paralyticis, et sale / [Johann Friedrich Moller].

Contributors

Moller, Johann Friedrich.
Major, J. D.
Universität Kiel.

Publication/Creation

Kiel : J. Reumann, 1668.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/d8xk53h7>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

344
13
14
Exercitationes Medicæ

De

MYRRHA, LOCUSTIS,
Jejunio Christi, Christo Medico,

Lunaticis, Paralyticis, & Sale,

ad Disputandum propositæ,

PRÆSIDE

D. JOH: DANIELE MAJORE,

Anat: & Botan: Prof. P. Revmi & Sereniss.

Dni EPISCOPI LUBECENSIS Medico,

& h. t. Fac. Med. Decano,

RESPONDENTE

JOHANN FRID: MOLLERO,

Uthinensi Hofrato,

Philatro.

Habebitur Disputatio *die 22. Julij*, in Auditorio major:
horis ab 8. matutinis.

Kiloni

Typis Joach: Reumanni, Acad. Typogr. 1668.

C. J. Sager
Amid-1798

REPUBLICAN

Union Church, Church Street

D. JOH. DANIELS

Amid-1798

DAVIDSON

& J. A. F. M. D. D. D.

RESPONDENT

JOHANNES TRIN

Union Church

Amid-1798

DAVIDSON

& J. A. F. M. D. D.

RESPONDENT

CORONIDIS LOCO
sequuntur, & porrò sequentur
THESES

Doctrinam recens-inventæ
CHIRURGIAE INFUSORIAE
methodicè exhibentes.

Thef. I. *Chirurgia Infusoria est Ars, liquorem peculiarem per convenientia organa in apertam hominis venam, vel arteriam trajiciendi, possibilis Sanationis ergò.*

II. *Appellatur Chirurgia, ut notum, ex Græco χείρ, seu Manus, & ἔργον, Opus; quia praxis Inventi illius consistit in operatione Manuali. Infusoria ab infundendo; Liquore videlicet, qui sanitatis obtinendæ gratiâ in Sanguinem Hominis derivatur. Ob quam translationem liquoris ad liquorem totum negocium proin uno verbo Græcè μετάχυσις nuncupari potest.*

III. *Aliàs Clysmatica nova, vel Enematica Ars, Clar. D. Job: Sigism: Elsholtio, Electoris Brandenb: Medico, nominatur, qui suo tempore ac loco idem artificium seorsim adinvenit, & paulò, post editum Prodrorum meum Chirurgia Infusoriae, publicæ luci dedit. Clysmatica inquam, ἀπὸ τῆς κλυσηῆρος vel κλύσματ @, h, e. Clyster: quia inter organa illa, Artificio novo inservientia, unum est, quod constat canali oblongo, cujus orificio majori vesicula suilla, agnina, vel alia alligatur, & circa locum ligaturæ pertunditur, more communium Clysterum; vide, si placet,*

Pro-

Prodromum meum dictum, §. 19. nec non part. 1. Chirurgia Inf: à Dubiis Defensa, respons. ad Dub. 11. pag 238. & sequ. Sed & cur missâ Clysmatica appellatione, semel adhibitum Chirurgia Infusoria titulum, quantumvis paulò latiore, consultò tamen retinuerim, vide ibidem, Respons. ad Dub. 1. pag. 130. sequ.

IV. Generis loco est Ars, quia Chirurgia Infus: est Habitus, cum rectâ ratione effectivus, Opus aliquod post se relinquens, nimirum Sanitatem, quantum fieri potest.

V. Ars verò non totalis, ut omnia Sanitatis vel conservanda, vel reducenda momenta contineat; sed partialis, quia contribuendo Sanguini liquorem convenientem aliquem, vitæq; hominis consulentem, partem aliquam tantum Separatè eas constituit, & toti Salutifera Arti, tanquam integrale quid, noviter subordinatur.

VI. Subjectum in quo est vel adequatum & principale, vel inadequatum & minùs principale.

VII. Adequatum est, Corpus humanum vivens, utpote cujus sanandi gratiâ Ars ista introducta est; quodq; venis & arteriis, justæ amplitudinis ac sitûs præditum, infusionem liquoris extranei tolerare potest: id quod potissimum fieri potest ac solet in pede vel brachio.

VIII. Inadequatum est Corpus Bruti cujuspiam; de quo, ut & de Subjectis, Chirurgiam Infus: exercentibus, Fine, Medis, Affectionibus, & Divisione totius negotii, in sequentium Disputationum Coronide agetur.





LIBER I.
EXERCITATIO I.

*De Myrrhâ, Christo à Magis oblatâ,
Matth. 2. v. 11.*

§. 1.

Communis Eruditorum, nec mala opinio est, Au-
rum Christo Salvatori à Magis Persiæ, ut Regi,
Thus, ut DEO, *Myrrham*, ut Homini, exhibi-
tam fuisse, juxta illud *Prudentij*, hymn. ult. Cat-
hemer,

*Regem DEUMque annuncians
Thesaurus, & fragrans Odor
Thuris Sabæi; ac Myrrheus
Pulvis sepulcrum prædocet.*

Ex quibus *Myrrha* cur, quæso, sepulcrum denotat, aut
mortalitatem? Ideò indubiè, quia *Christus* in Carne ta-
lis futurus erat, cujus defuncti corpus, sicut aliàs Re-
gum Orientalium, preciosissimis rebus condiri merere-
tur, Sapientes isti, peculiari devotione acti, *Myrrham* à
suis thesauris abesse noluerunt, tanquam in Corporum
Balsamatione receptissimam.

§. 2. Eâque, sicut & Aloë, & similibus, non corpora
A solùm,

folùm, sed ipsæ etiam vestes persæpe & involucra pollin-
gebantur: nec inter mortuos tantùm, sed vel inter vivos,
augendæ majestatis, conciliandæque perennitatis gratiâ.
Quò spectat mysticum illud, *Cantic. 4. v. 11: Odor vestium
tuarum, sicut Odor Libani; & Psalm. 45. v. 9: de cœlesti
Sponso. Messîâ, convenienter scriptum est: Myrrha & Aloë Ke-
ziotb, (vel Myrrha & Aloë abrasionum, vel Aloë abrafâ,
h. e. pulvis Agallochi vel Ligni Aloës aut paradisiaci, ab-
rasione factus; minimè verò, Myrrha, Aloë, & Cassia)
sunt vestimenta tua. Immo Nicodemum, virum piè - soli-
citur, actu contulisse magnam partem Myrrhæ & Aloës,
ad corpus Christi balsamandum, Aromataque Involucris
Ejus inserta tum fuisse, expressè docet *Jobannes c. 19. v. 39.**

§. 3. In *Myrrha* sanè amaror quidam, & balsamica
vis, præter odorem, valdopere eminent, quorum respe-
ctu, quod tineas, vermes, putrilaginem, & corruptelam
qualemcunque prohibet, ad Condituram frequenter ad-
hibita est, & ad usum Medicum insuper facilè traducta,
sic, ut etiamnum vel cruda aut nativa, vel sub diverso Me-
dicaminum, artificialiter præparatorum, Schemate non
sine fructu usurpetur.

§. 4. *Cruda*, & prout apud Materiarios emitur, ma-
sticari solet jejunè, ad palliandum fœtorem Oris, sangui-
nemque & viscera à corruptione munienda.

§. 5. *Præparatur*, vel depurando, vel lævigando,
vel extrahendo ope spiritûs Vini, aut menstrui commodi
alterius, vel destillando. Unde, præterquam quod for-
mâ pulveris tam internè, quàm externè feliciter adhibe-
tur, Theriacam Andromachi & Mithridatium, Pilulas
pesti-

pestilenciales Ruffi, Trochiscos Rhafis, variaque Unguenta & Emplastra ingrediuntur, specieque Essentiæ aut Extracti (quò nominatissimum illud Elixir Proprietatis Paracelsi cum primis pertinet) olei item, &c. humanis usibus inservit.

§. 6. Apud *Hippocratem*, lib. 2. de Morb. Mulierum, (sect. 5. Oper. pag. 232.) suffitus ex Cassiâ, Cinnamomo, & Myrrhâ, contra Uteri imbecillitatem commendatur; qualium adhuc frequentissimus usus est; cui adde novissimè etiam hunc, quod ad exornandum Inventum *Chirurgiæ meæ Infusoriæ* Myrrham haut parum profuturam *Excellent: Dnus D. Job: Daniel Horstius*, sub finem Epistolici sui, de dictâ Chirurgiâ, judicii, suspicatur, h. e. Tincturam *Auri*, ex spiritu Vini, *Thure & Myrrbâ* imprægnato, factam, ægrotantium Venæ posse injici: opinione *Nierembergij* adductus, qui putat, in tribus donis Magorum, *Christo* oblati, latere summum quoddam & excellens vitæ pharmacum; ob Myrrham præcipuè, quæ, ut dictum est, putredini resistit, & roborat. *Uti proinde* (verba laudati *Horstij* sunt) *quidam Veterum putarint, Christo fatigato in Cruce vinum Myrrhatum fuisse, confortationis gratiâ, exhibitum, ut diutius nempe cruciatus pateretur.*

§. 7. Cujusmodi *Vina Myrrbata* verò eadem non erant cum *Myrrbinis*. Ista enim amara, hæc dulcissima existebant, & à *μύρον* potius, h. e. unguentum, quo vina per luxum condiebantur, dicta, quàm à Myrrhâ Troglodyticâ; ut ex *D. Tb: Bartholino* pereruditè monet *Cl. D. Sachsus* in *Ampelographiâ*, pag. 359. Vide etiam de *Murrhinis*, vel *Myrrhinis* *Plinium* lib. 14. c. 13. & *Taubmannum*.

(not. ad *Plauti Pseudol.* 2. 4. 51.) qui Murrhinam potionem planè divinam, & à Græcis Nectar vocatam, laudat: ipsaque, in quibus Nectareæ ejusmodi potiones administrabantur, *Vasa*, dicebantur *Myrrhina*, ex Crystallo, ut videtur, facta, vix autem Porcellanis modernis accensenda; quorum precium sanè adeò ingens erat, ut *Petronius* Trullam Myrrhinam habuerit, trecentis sestertiis, h. e. XV. Millibus Carolinis, emptam, quam verò moriens confregerit, ne eâ Nero potiretur, ut ex *Plinio* refert *Meursius* cap. 8. de Luxu Roman. invexitque talia primùm in Urbem Pompejus M. in triumpho, quem de Piratis duxit, ut *Polydorus Vergilius* lib. 2. de Rer. Invent. cap. 22. testatur.

§. 8. Nec minùs tamen ipsam *Myrrham* quoque, toties à nobis dictam, luxùs ergò cæteroquin ad Crines adhibitam fuisse, constat ex hoc *Propertij* (lib. 1. eleg. 2. v. 3.)

Aut quid Oronthèa crines perfundere Myrrhâ? h. e. Oleo vel Unguento myrrhato, ut arbitror; vix autem Myrrhâ crudâ aut nativâ, dum quantumvis adhuc liquida est: qualis antiquitùs *Stacte* vocabatur; eratque præstantissima. Unde Anus apud *Plautum* (*Curcul.* 1. 2. 6.) Vinum ita compellat:

Tu mihi Stacte, tu Cinnamomum, tu Rosa,

Tu Crocum & Casia es, tu Bdellium. —

confer identidem *Plinium* lib. 12. c. 15.

§. 9. Et sicut Inunctio Capitis, ad cultum religiosum & sacros ritus primùm spectans, sic balsamatio etiam vestium, de quâ superiùs (§. 2.) actum est, facilè postea ad abusum trahebatur; præsertim apud Mulieres, quarum,

rum, circa Odores & Unguenta, luxuriam longè maximam his verbis notat *Clemens Alexandrinus* lib. 2. pædagogi, cap. 8: *Atque eæ quidem & sua vestimenta, & vestes stragulas, domosque suas suffumigant & adspargunt: atque adeò vel ipsas propemodum matulas olere cogunt Unguenti deliciae.* Confer *Gregorium Nyssenum*, homil. 3. in Cant. Cantic. *Claudianum* lib. 2. in Eutrop. v. 335. & *Martialem* lib. 2. epigr. 16.

§. 10. Hodie Vestimentis Suaveolentia his ferè modis conciliatur: Vel reponuntur in Scrinium, ex Ligno Cedrino, Cupressino, Sassafras, aut alio odorato factum: vel ipsis apponitur aut interponitur Lavendula, Iris, Cyperus, Chamomilla, Rosmarinus, Stæchas, aut Sacculus vel pulvillus ex his & similibus paratus: vel eadem plicis insuuntur: vel vestes ipsæ suffitu accensarum specierum suavefragantium perfumantur: vel pulveribus Cypriis & moschatis, ut Crines communiter, adsparguntur: vel Aquâ quapiam d' Angelo, di Muschio, &c. Italis dictâ, Damascenâ, aut odoriferâ aliâ, leniter hinc inde irrorantur: vel denique unguentis, oleis, aut balsamis, moscho item, Zibetho, Ambrâ, Ladano, &c. fricantur, ac profundissimè subiguntur: quò spectant imprimis *Chirothecæ* omnium optimæ, quas ex pelle Capreoli mundati factas æstivo tempore, per plusculos ejus dies videlicet, Jasmini, Aurantiorum, aliorumq; odore affatim imbutas, & penè maceratas, Româ accipimus, sub titulo *alla Frangipane*; nec non similes alias ex Hispaniâ, egregiè pariter conditas, in selectioribus deliciis habemus.

EXERCITATIO II.

De Locustis, Cibo Johannis Baptista in deserto:

Matth. 3. v. 4. & Marc. 1. v. 6.

§. I.

Duæ sunt partes maximè palmares Medicinæ: una, quæ directè de conservatione præsentis, altera, quæ de restitutione amissæ Sanitatis agit. Conservandæ varia media sunt; & inter illa Cibus. De Cibo varia notantur; imprimis verò hæc: Delectus certi Generis, Quantitas, Qualitas, Forma externa, Tempus, & Ordo assumendi. Ex quibus de Cibo *Johannis* Eremitæ sigillatim jam quæritur, cujusnam formæ ac præsertim generis fuerit? An crudus vel præparatus? an Vegetabile quid, vel Animale? Fit verò in Textu *Matthæi* duplicis cibi mentio, *Locustarum & Mellis Sylvestris*.

§. 2. De Melle nemo ambigit, cibatu esse convenientissimum, tam ratione virium, quàm saporis; quamvis & Mella amara dari, *Carolus Avartius Rhodiginus* (notis ad Cœnam Fieræ p. m. 64.) annotet. Sed de *Locustis* tantum quæritur, quid per has intelligatur, quia vox hæc non minùs tenellas & annuas arborum summitates; uti penes nos sunt Sambuci, Juniperi, Abietis &c: quàm Insectorum quasdam species, cicadis similes, *Heuschrecken* Germanicè, denotat.

§. 3. Quarum vel solum nomen ut multi reformidant; sic *Johannem* in deserto *Locustas*, animalia, comedis-

se, ali-

se, aliqui inter absurdissima reponunt, & succida ista arborum cacuminula, quæ Græcis ἀκρά, ἀκρίσματα dicuntur; item ἐγκρίδες, h. e. dulciaria ex melle, aut bellaria; vel etiam ἀχράδες seu pyra sylv: substituunt; quò etiam inclinare video *Paulinum*, virum Consularem, dum in carmine suo, quod de *Johanne Bapt:* conscripsit, v. 234. ita canit:

*Præbebant victum facilem sylvestria mella,
Pomaque, & incultis enata caulibus herbae,
Arentemque sitim decurrens unda levabat.*

§. 4. Immò planè per καρίδας, h. e. squillas, cancri marini genus, nonnulli præsentem locum *Matthæi* interpretari malunt, quod prorsus inconueniens est, cum & desertum propè Jordanem procul à mari remotum, nec Johanni vel instrumenta ad piscandum, vel animus ad captandas gulæ delicias, adfuerint; ut taceam, quod juxta *Bocbartum* (part. 2. Hierozoici lib. 4. c. 7. p. 489.) *Locustas* marinas, vel squillas, à Græcis non ἀκρίδας vocari, sed καράβας, notandum sit; unde Germanicè *Krabben* appellantur, præsertim minor earum species, in his oris littoris Balthici frequentissima, esuque grata. *Beza* ad præsentem *Matthæi* locum: *Unde verò, ait, Squillæ in jordanæ, quum præsertim in mare non influat, sed arenis absorbeatur?*

§. 5. Et quantum ad reliqua imprimis nomina, quæ substituuntur, pariter notandum, citra necessitatem id fieri. Quid enim absurdi, *Johannem* *Locustis*, Insecti genere, victitasse? Fuerunt enim illarum species quatuor, nominatim *Arbe*, *Selam*, *Chargol*, *Chagab*, Judæis expressè inter cibos concessæ, ut videre est *Levit. II. v. 22.* de quo loco

loco *Bochartus* part. 1. Hieroz. lib. 1. c. 9. p. 69. pronunciat, è multis locustarum nominibus, quæ in Mose & Prophetis reperire est, ne unum quidem esse, quod certâ ratione non nitatur.

§. 6. Neque Judæi tantum, sed aliæ gentes quoque *Locustas* (Animalia) fumo videlicet induratas, Sale conditas, aut aliâ ratione præparatas, familiariter comederunt: e. g. *Æthiopes*, docente *Plinio* lib. 6. c. 30. *Partbi*, (vide eundem l. II. c. 29.) & *Arabes*, qui elixas, vel ad Solem exsiccatas, & in farinam tulas usurpant, ut ex *Joh. Leone* notat *Cl. D. Sachsus* lib. 2. *Gammarolog*, sect. 1. cap. 1, p. m. 550. De quibus, ut & *Libyæ* populis, pariter *ἀνεξιδόφαισις*, *Ægyptiis* item, imò *Græcis*, sufficienti Autorum suffragio fultum lege *Bochartum* ante-dictum part. 2. l. d. ubi putat, *locustas Jobanni* forsan oblatas fuisse ab iis, qui ipsum attentius audiebant: Vide insuper *Ursinum* lib. 4. *Miscell. Sacr.* c. 7. pag. 165. & adde *Nierembergium*, qui, quomodo, ut esui aptæ fiant, ab Orientalibus præparentur, item, quale nutrimentum præbeant, & quomodo magnâ copiâ capiantur, *libro de Miraculis Terræ Sanctæ*, c. 100. declarat.

§. 7. *Uratislaviæ* vidi puerum rusticum, qui suetè valdopere, & sine noxâ, tempore Veris, *Scarabæos* comedebat, & sic fiebat illorum sepulcrum quasi ambulans. Epigrammata quædam, & quasi Epitaphia, in manes *Locustæ* scripta, vide apud *Licetum* lib. 2. de *Lucern. veter.* c. 57.

EXER-

EXERCITATIO III.

De Jejunio Christi Quadragesimali,

Matth. 4. v. 2. & Luc. 4. v. 2.

§. 1.

JEJUNII, moderatè & scopo bono suscepti, magnæ utilitates sunt tam in disciplinâ morali & sacrâ, quàm Regimine sanitatis; quas verò recensere hic citra institutum est. De Terminò tantùm quæritur, qualis admitti soleat à Medicis? vel pressius: an memorabile istud Jejunium *Christi* quadragesimale, quod ex *Hug. Grotio*: (notis ad Matth. 4. v. 2.) rectissimè possumus Niniviticum appellare, supernaturalè fuerit, vel naturale adeò, ut salvâ valetudine aut vitâ in aliis etiam hominibus locum habere possit?

§. 2. Quo in negotio mordicè negare nolo, Jejunium dictum fuisse miraculosum, cum videam, *Andr. Prücknerum* (in Vindiciis hujus loci) aliosque Viros gravissimos eò inclinare; & ratio quoq; sufficiens id prober: exinde tamen non sequitur, quia Jejunium istud in *Christo* in tot dies fuit sine dubio à causâ plusquam humanâ profectum, ergò homines reliquos ex naturalibus etiam causis, nullatenus à Cibo & Potu diu abstinere posse: quin potiùs certum est, aliquos eorum, quorum Saluberima constitutio cum Transpiratione Corporis fortè nullâ vel minimâ conjuncta existit, abstinentiam ob alias atque alias causas à cibo ac potu satis diu, ac interdum sine noxâ ac tædio, perferre potuisse.

§. 3. Cujusmodi Exempla varia ab autoribus re-

cententur; nominatim à *Cass. Conrado*, Medico quondam & Poëta Silesiæ eximio, in *Problemate Physico-Medico*, Basileæ solenniter à se edito; *Possitne homo aliquot annis sine Cibo vivere?* *Job. Henr. Ursino* vol. 2. *Anal. sacr. lib. 3. cap. 19. Phil. Jacobo Sachs*, *Gammarolog. cap. 19. pag. 444. Fortunio Liceto* in *Tractatu, de iis, qui diu vivunt sine Alimento*; item in altero, *de Feriis altricis animæ* inscripto: *Job. Rhodio* non minùs, cent. 2. *observ. med. 54. ac Cass. Schotto*, l. 3. *Physi. Cur: c. 14.* Sed brevitatis ergò placet, historias non recoquere, & ex iis potiùs Tempora tantum, h. e. Dies, Menses & Annos fideliter ac nudè recensere, insertis pauculis, quæ per studium nostrum addita sunt, ut summatim pateat, quousq; *Jejunia* *Hominum* unquam ultra communem mensuram, (Naturaliter tamen) fuerint extensa.

§. 4. *Jejunium triduanum* brevissimum videtur: sed vix tolerabile ampliùs erat illis, qui aliunde profecti, *Christo* docenti prope *Mare Galilææ* auscultaverant, nisi ante abitum cibo priùs reficerentur, ipso *Salvatore* asseverante, *Matth. 15. v. 32.* cui tamen adde abstinentiam triduanam *Saræ Tob. 3. v. 10.* Aliàs à *septimo die* cum inediâ transactò, periculum mortis demum inferri, *Hippocratis* effatum est, libro de *Carnibus*, circa finem, his verbis: *Quod verò Hominis vita septem dierum numero circumscribatur, hoc quoq; manifestum est. Pleriq; quidem ex his, qui septem diebus nihil edere aut bibere volunt, in his moriuntur: quod si quie eos superaverint, nihilominus tamen moriuntur.* Quam sententiam verò *Plinius* lib. II. cap. ult. expressè impugnat, *durasse & ultra undecimum plerosq; certum esse* scribens. De *jejunio novem dierum* vide *Rhodium* l. d. *decem dierum*, eundem ibid, obs. 55. *undecim dierum*; vide *Eundem* l. d. obs. 54. &

Sachs.

Sachsum l. antè d. qui exemplum id ex *Salâ* habent; iis. que imprimis adde *Tulpium*, qui tragicum exemplum memorat de septem Britannis, ex insulâ Christophorianâ navigantibus, sed tempestate abreptis, & à cibo omni, & hominum auxilio, usque ad *diem undecimum* miserè dimotis, ut coacti tandem fuerint, jactâ prius aleâ, unum ex se jugulare, ejusque carne & sanguine famem ac sitim atrocissimam sedare; lib. 1. obs. Med. cap. 43. Porrò de *Inediâ viginti dierum* vide *Rhodium*, *Sachsum*, *Ursinum*, locis paulò antè (§. 3. videlicet) citatis: Virginemque, quæ propter fratres prodigos, sibi pârûm affectos, desperatioe coacta, *viginti duos dies* integros sine cibo & potu omninò permanens, cadaveri similis fuerit facta, sed postea comedere rursus incipiens, & bibere, convaluerit, suomet testimonio rem probat *Dominicus Panarolus*, Medicus Rom. sect. 5. observ. 20. pag. 157. De jejunio *triginta dierum* vide *Schottum* (lib. 3.) & *Ursinum*.

§. 5. Ad *quadraginta* denique *dies* postquam Jejunium *Christi* se extendit, vel sesqui-mensem; similem, aut æquè miraculosam inediã, *Moses* (Deuteron. 9. v. 9. & 18. cap. 10. v. 10.) & *Elias* (1. Reg. 19. v. 8.) in monte Horeb tolerarunt, assistente sine dubio ipsis peculiari gratiâ Divinâ; idemq; nostro ævo imitari, sed frustra, instituit Doctor quidam Salisburiensis in Angliâ, de quo *Cl. Olaus Borrichius*, (*Bartholin.* cent. 4. epist. med. 92. pag. 136.) refert, quod dùm infortunato conatu *quadraginta dierum* inediã, quâ *Salvator* noster inclaruit, inisset, decimo septimo abstinentiæ die succumbens, hæredibus id negotii reliquerit,

ut sua marmoreo signarent fata sepulcro.

Nihilominus *Menses duos* jejunio consumptos à quadam muliere antiquitùs, *Conradus* supra (§. 3.) citatus, & *Schottus* lib. 3. *Phys. Cur.* cap. 14. p. 464. refert; immò *menses sex* à quodam rustico, *Ursinus*.

§. 6. Tum, quod multò magis mirum, ad integros etiam *Annos*, distinctumq; eorum numerum est deventum. De *Laurâ* enim *Narducciâ*, *annum unum* jejunante, *Sachsus* refert. Puella quædam alia per *sesquiannum* famen tulit, *Ursino* & *Schotto* (l. 3.) allegante. De *Biennio* idem, *Sachsus*, *Schottus* (lib. 3.) & *Conradus* memorat. De *triennio*, *Conradus* exempla quinque, *Ursinus*, *Schottus* l. d. & *Sachsus* unum & alterum habent; pluraque de triduo *Græcorum*, *Ægyptiorum*, & aliorum, jejunio vide, si placeat, exempla apud *Schottum* l. 3. c. 14. §. 2. pag. 468. *Quadriennium* item *Sachsus*, *Schottus* lib. 3. & *Conradus*. *Septem*, *Octo*, *Novem annos* identidem *Sachsus*, sicut *novennium* etiam *Conradus*. Tum & jejunium *decennio* transactum, *Sachsus*, & *Schottus* (l. 1. & 3. *Phys. Cur.*) aliud, *undecim annorum*, *Schottus* idem; porrò aliud ad *tredecim annos* ferè, *Idem Sachsus*, atque aliud ad *quindecim* idem *Schottus* lib. 3. & *Conradus*; tum ad *sedecim* quoque *Sachsus*, & ad *octodecim* *Idem* & *Schottus*; ac *viginti duos*, *Conradus*; & ad *viginti sex* *Sachsus* iterum; adque *triginta*, immò *quadraginta* idem cum *Conrado* & *Schotto* l. 3. memorat.

§. 7. Longissimum denique, & maximè stupendum est, quod *Ursinus* ex *Mendozâ* (modò non fortè mendaci) refert, fuisse *Venetiis* hominem, præclaris ortum natalibus, qui integros *quadraginta & sex annos* jejunus absolverit, cum esset frigidâ corporis habitudine, crassaque pituitâ, (sic verba sonant) & incoctâ nutritione, obstructisque membrorum meatibus.

§. 8. In causas abstinentiarum talismodi & diuturnæ adeò in tot individuis, toleratæ inedia viritim inquirere non vacat; sed sufficit, genera illarum strictim explicare. Ex quibus si *supra-naturales* quædam *causæ* in subiectis aliquibus adfuerint, Divina præsertim, in *Christo*, *Mose*, *Eliâ*; de omnibus tamen propterea id non est asserendum. Sicut è contrario neque de omnibus putandum est, Dolum tantùm irrepisse, & homines diu jejunare creditos, clam alimenta accepisse; vel, Inediam diuturnam naturalibus mediis, sed ratione quadam occultâ, à Diabolo fuisse procuratam, quale quid fieri posse citatus *Schottus* lib. 1. *Phys. Cur.* c. 30. & actu factum esse, in puellâ quadam, per 70. dies præposterè jejunante redditâ, idem lib. 3. c. 14. §. 3. connotat; simileque quid exprobratum fuisse Jejunio *Johannis baptistæ* à Judæis, videre est apud *Matthæum* c. 11. v. 18.

§. 9. *Naturales* tamen etiam Jejunii diuturni *causæ* diversæ dari possunt, eò facilius effectum hunc producentes, quò plures earum in Individuo aliquo concurrerint; si ve eadē sint *Naturales κατ' ἐξοχήν* & in specie sic dictæ, ac perfectivæ; si ve *Morbosæ*, h. e. per se quidem etiam naturales, quatenus tamen ita quibusdam insunt, ut ad destructionem eorum tendant, nisi vel elimentur, vel refrænentur, *præter naturales* à Medicis vocatæ: si ve denique *Neutræ*, h. e. quæ nunc servandi, nunc labefactandi humani corporis vim habent.

§. 10. Ad *Naturales in specie dictas* referuntur e. g. (1.) *Balsami Nativi abundantia*, Sanguinisque & Corporis totius constitutio valdè temperata, reliquarum Temperierum quasi *Regula*; quæque constitutio vim ac robur

durabile partibus suppeditat, sed exercitiis, inediá, concitatoribus animi motibus, labore, ac itineribus immittit tandem ac labefactari potest. (2.) *Balsami ejusdem* tam radicalis, & poris partium implantati, quàm fluidioris, & in Sanguine, succoque nerveo fundati, peculiaris aliqua *fixitas aut tenacitas*, ut non nisi tardissimè sive per motum & calorem, sive per inediám, aut alias causas absumatur, habeatque propemodum se instar Lucernarum illarum perennium, quæ veterum sepulcris additæ, nemine unquam pabulum addente, inconsumptæ quàm plures annos, immò secula aliquot, arserunt; de quibus peculiarem tractatum scripsit *Fortunius Licetus*. (3.) *Attractio occulta alimenti subtilissimi, ex aëre petiti*; quod sive Sal quoddam Centrale, sive universale, sive ammoniacale-macrocosmicum, sive balsamicum Naturæ, per aërem, aquam, ac terram dispersum, sive quovis nomine alio quis velit indigitare, híc quidem nobis perinde est. Ejus occultæ inspirationi & transsumptioni in corpus certè sine dubio debetur, ut aliqui solito diutiùs ab alimento quovis palpabili abstineant; cujus rei exempla ex *Cælio Rhodigino & Platone*, *Casp. Schottus* (lib. 3. Phys. cur. cap. 14. §. 1. pag. 464.) infert. Hoc tantum dubii interest, quod, juxta *Sennertum* (lib. 2. Inst. Med. part. 3. sect. 2. cap. 1. pag. 348. b.) causa non satis reddi potest, *cur paucissimi solum, atque non etiam alij simili modo aëre nutriantur*. Interim illud ipsum in brutis quibusdam ordinariâ lege Naturæ accidit, e. g. fortè *Cbameleonte*, quem toto vitæ tempore sine cibo & potu existere, & solo aëre ali, recepta opinio est, *Plinio* jam olim approbata, lib. 8. cap. 33. *Gallinis* plerisque, dum ovis incubant: nec non Gallinam aliam, absq; cibo & potu post LXXX. dies vivam

vivam repertam, *Ursinus* (Vol. 2. Anal. sacr. c. 19. pag. 155.) memorat: ut taceam de *Insectis*, quorum nonnulla octo, novem, decem, undecim, immo ipsos viginti quinque menses sine ullo alimento (perceptibili) in vitâ conservantur, ut rectè *Job. Gödardus* admonet, annot. ad cap. 10. de Naturali-Insectorum Metamorphosi, pag. 144. notumque de *Araneis* est, quod in defectu Muscarum etiam, at tamen sat diu in aère se sustentent. De *Viperis* quid dicam & *Serpentibus*? quæ animantia in terrâ, tempore hyemis, maxime balsamico halitu illius imperceptibiliter aluntur? Vel de *Ranis*, quarum indubiè eadem sub aquis ratio est; sicut *Cancrorum* quoq; & *Astacorum*, de quibus *Clariss. & Scientissimus Sachsus* *gammalog.* cap. 19. pag. 446. & 449. videatur.

§. 11. Falsum autem est, *Glires* tempore hyemis à cibo, potu, ac vigiliis cessare, & interim pinguescere nihilominus, juxta tritissimum illud *Martialis*: *Tota mihi dormitur hyems* &c. cum potiùs stramen, fœnum, ac frumenta in horreis sat perambulent, & sæpe non satis expugnari possint: Nec de *Urso* facilè credo, illum intra scopulos, cryptas, aut quævis latibula alia, totâ hyeme quietum recumbere, & pedes proprios lambendo, fatiari, ut quosdam tradidisse, laudatus *Sachsus* l. d. (pag. 447.) memorat; cum planè aliud doceant unâ cum *Cl. Oleario*, in Itinerario Muscoviæ & Persiæ, quivis Autores alii, qui historias Navigationum ac itinerum aliorum in loca Europæ septentrionaliora consignarunt. Sed his missis,

§. 12. *Præternaturalibus* Jejunii diuturni causis jam hæc accensentur: (1.) *Copia Pituitæ* concoctu difficilis, & *Ventriculo* inhærentis, ob quam *Appetitus* aliquandiu obli-

obliteratur; quæ ratio tamen, *Sennerti* iudicio, (l. d.) non satisfacere videtur. (2.) *Calor debilis*, abundantiam humoris istius non ritè concoquentis; unde Senes, quàm alii, faciliùs ferant inedia, minusque ciborum appetant. (3.) *Resolutio Nervorum*, circa Ventriculi orificium dispersorum; unde sensus suctionis pereat, & appetitus identidem evanescat, censente *Langio* apud *Sennertum* (l. d. a.) qui difficultatem, etiam cum hâc ratione connexam, breviter & succinctè enodat. (4.) *Attractio Alimenti spurij ex interioribus partibus Corporis petiti*, nominatim Humorum & Pinguedinis.

§. 13. *Humores* quippe qualescunq; *consumi* interdum per Inediam diuturnam, attrahiq; à ventriculo famelico & intestinis, huic proximè connexis, parum dubii subesse patet, si quis effectum consideret, multorū jejunio succedentem, notabilem corporis extenuationem & ariduram, cum fame ac siti inexhaustâ. Quò trahi potest Observatio quoq; hæc in cato vivo, post triduanū ejo jejunium, dissecto à me, habita ante annos XII. in quo perspexi, ductum Thoracicū, chyli aliàs delatorem ad Cor, non succo lacteo, sed aquâ limpidâ turgere, probabili documento, Naturam Felis, in defectu alimenti familiaris, per impatientiam famis, humorem undecunque partibus abrasisse, cujus pars dein per lacteas mesaraicas, & capsulam chyliferam delata, ductum thoracicum Lymphâ turgere fecerit; quamvis ratio quoque reddi possit alia, de Vasis Lymphaticis nempe, jam dictæ chyli capsulæ insertis: de quâ re etiam in Historiâ meâ Anatomes Kilon. cap. 2. §. 17. (p. 9.) egi.

§. 14. Nec *Humores* solùm in diuturno jejunio absumi, sed vel *Pinguedinem ipsam colligari* interdum, succedens

dens Extenuatio Corporis probare videtur identidem, & Autores præclari assentiuntur; ex quibus seorsim vide *Tb. Bartholinum* lib. 1. Anat. reform. cap. 3. pag. 23. & imprimis *Licetum* lib. 2. d. Lucernis Vet. cap. 23. pag. 95. Non tamen hoc ipso concludimus, Pinguedinem inediâ consumtam, ferri in ventriculum, ut suetæ ibidem ciborum familiarium digestionem subjiciatur; sed sufficit, quod verisimiliter dispergatur ad habitum corporis, mortem, ex enormi jejunio metuendam, utcunque retardet, sed & ipsa tandem, magnâ sui parte, per evacuationes sive sensibiles, sive insensibiles eliminetur.

§ 15. *Neutræ* denique h. e. indifferentes ad juvandum & nocendum, diuturnioris Jejunii causæ possunt esse hæc circiter: (1.) *Nulla vel valdè obscura Sanguinis Circulatio*; quam suspendi in aliquibus ad tempus, salvâ eorum vitâ, & superstitè intereâ reliquâ Temperie & partium conformatione, ipsis congruente, probant ecstatici quidam, & illi, qui pro mortuis elati, post tertium, quartum, &c. diem, ad actum secundum vitæ redierunt. Item, in brutorum genere, Hirundines per brumam quasi congelatæ repertæ; Ranæ, per Hyemem penitè quietæ; Serpentes, &c. Hirundines tamen avolare potiùs in loca terrarum calidiora, ex *Jeremiæ* cap. 8. suspicatur *Clar. Ursinus* vol. 1. analect. sacr. lib. 3. cap. 6. (pag. 171.) & lepidam historiam de *Monacho quodam* addit, qui pedi hirundinis Schedulam affixerat. (2.) *Diaphoreseos defectus*, sive ob cutis densitatem, & poros corporis constrictos; sive ob partium transpirabilium penuriam, & balsami nativi statum fixiorem, caloremque Sanguinis moderatissimum, si præsertim accedat (3.) *Quies Corporis*, ut id à nullis facile
C
moti.

motibus incalescat. (4.) *Frequens perceptio Odorum*; quos nisi nutrire propriè, vires tamen egregiè reficere, mortalitatemque aliquandiu sufflaminare, exempla probant, præsertim antiquum illud *Democriti*, qui in agone constitutus, ne durante Festo interiret, odore panis refici se quatruido procuravit: & recens hoc, à *Verulamio* adductum in *Sylvâ Sylvarum*, §. 934. his verbis: *Novi nobilem, qui per tres, quatuor etiam, quinque dies jejunaret, nec cibo, nec potu gustato, sed ille magno herbarum fasciculo uti solebat, cujus odore frueretur, inferebatque herbarum esculentas acris odoris, ut cæpam, allium & similes.* (5.) *Medicamenta, famem ad longum tempus sedantia*, si credendum autoribus, à *Schotto* (lib. I. *Physic. curios. cap. 30. §. 2. pag. 142.*) allegatis. (6.) denique *Obstinatio fortis, de cibo, potu, immò Medicamentis, simpliciter vitandis.* Quo verò accidit, ut homines talismodi, præposterâ hâc abstinentiâ, fatalem horam accelerent, non prolongent: de quibus vide discursum peculiarem apud *Job: Sopbronium Kozak*, tract. de Sale, cap. 10. sect. 15. pag. 462.

EXERCITATIO IV.

De Christo Medico, Matth. 4. v. 23. &c.

Ortuque Divino Medicinæ.

§. 1.

CIRCA *Miracula CHRISTI*, à Sanctis Evangelii Scripto-
ribus recensita, hoc valdè est notatu dignum, quod
pleraque eorum terminabantur in *Sanatione Ægrorum*, ut
videre est, si *Matthæum* tantùm inspiciamus, ex capite
ejus 4. v. 23. usque ad finem, cap. 8. v. 2. usque ad v. 18. cap.
9. toto,

9. toto, c. 12. v. 10. sequ. c. 14. v. 14. & v. 36. c. 15. v. 30. c. 17. v. 18. c. 19. v. 2. & cap. 21. v. 14. Quæ omnia, quamvis miraculosa, & modo planè peculiari, vixque imitabili effecta, attamen ad Medicinam Humanam spectant eatenus, quatenus dignitas illius à tam Magno Magistro declaratur, tanti precii Finem Medicum, (Sanitatem corporis) æstimante, ut contingere eundem gratiosissimè iteratis exemplis non dubitarit.

§. 2. Quâ occasione placet, missis tantisper reliquis' documentis omnibus, quæ pro dignitate & Excellentia Medicinæ ubertim afferri possent, unicum tantùm hoc adducere, quod veluti *Ortum illius planè divinum*, tam ex adductis *Matthæi*, quàm aliis Scripturæ locis, certoque ratio- cinio; sic insignem aliquam Salutiferæ Artis præ omnibus aliis prærogativam, efficacissimè probet: Habetque se hunc in modum: *Quicumque (1.) Subjectum Medicinæ, (Hominem,) condidit, (2.) Finem ejus dem Artis, (Sanitatem) placidè tolerat, (3.) eique benedicit; (4.) Media ad consecutionem Finis necessaria aut utilia gratiosissimè est largitus: (5.) Hominem Medicinæ discendæ, docendæ, ac exercendæ capacem reddidit, eique desideria ejus implantavit: (6.) ejus demque constitutionem intimè novit: (7.) Jura & effectum Sanitatis, Morbi, ac Mortis Humanæ manu suâ potentissimè continet. (8.) Medici personam honorari, expressè in verbo suo mandat, & (9.) Medicinam Divinitus datam contestatur, (10.) eandemque vel exercuit ipse, (miraculosè quamvis) vel (11.) exercere, aliis notanter commendavit, & (12.) moderatum Diætæ regimen hominibus præcepit; (13.) indignationem denique suam illis abundè declarare solet, qui fabricam Sanitatis fingi putant merè humanis viribus, intermissâ invocatione Numinis*

Caelestis: ille utique est Autor Medicinæ. Atqui de DEO verissima sunt priora omnia: Ergò & posterius.

§. 3. *Quoad I.* enim; de eo informamur à Mose Genes. 2. v. 7. *Formavit Dominus DEUS Hominem de pulvere (seu limo) terræ, vitæque spiraculum in faciem ejus inspiravit, ut emerferit homo in Animam viventem;* vel, ut habet Chaldaica versio, in Spiritum loquentem. In hoc ipso (Homine) Medici vitæ perennitatem moliuntur, non in ligno aut lapide, ut rectè *Galenus* censuit: nec in brutis ac plantis, humanâ Naturâ inferioribus, quicquid subtilitatum etiam *Laurembergius* afferat, qui (in porticu *Æsculapii*) adæquatam Medicinæ subjectum, probare contendit, esse Corpus vivens, quia id morbis propriè dictis, & multis, quibus homo corripitur, corripitur, similique methodo, similibusque remediis curetur: quòd argumentum speciosum & ingeniosum magis est, quàm verum: quia per accidens factum est, ut, postquam Medicina hominum inventa est, quoad aliquam partem usum etiam monstravit in curâ pecudum & plantarum: multa verò in homine sunt, quæ remedia & methodum planè singularem possunt. Et imprimis, si disciplinarum distinctio proximè à Fine petitur, ad Medicinam veram vel ideò trahenda non est Veterinaria vel Mulomedicina, aut cultura etiam Stirpium, quia Medicina illa, quam nos Canonicè in Academiis profiteamur, cujusque origines ad *DEUM gloriosum* hîc transcribimus, non plantarum, non pecudum, sed hominum tantùm ægrè habentium studio primùm est inventa, seculorumque successu magis magisque à posteris exornata.

§. 4. *Quoad II:* Hoc per bonam, quam vocant,
Con.

Consequentiam, potest elici ex loco *Matthæi*, cap. 9. v. 12: *Firmi non opus habent Medico, sed ægroti.* Nisi enim *Salvator* Incolumitatem Hominum corporalem approbaret, parabolam ab hâc ad Medicinam Animæ consequendam, coram Pharisæis non petiisset.

§. 5. *Quoad III:* Qui benedixit hominibus, iisque rectè facientibus, præter alia bona, Vitam longam promissit, uti hoc scimus ex Decalogo; is sine dubio etiam benedixerit mediis ordinariis, ad vitæ prolongationem ducentibus. Notaque hanc in rem præclara habentur exempla Biblica, *Hiskie* Regis, cujus vitæ DEUS ex singulari gratiâ XV. annos superaddidit; *Esaie* 38. *Asarie* item ac *Ninivitarum*; de quibus vid. part. 1. Chirurg. meæ Infus. defensæ, resp. ad Dubium 1. §. 34. & adde exemplum *Calebi*, ex *Syracid* 46. v. 11.

§. 6. *Quoad IV.* Tota Natura humanis usibus commodisque destinata, imprimis in iis, quæ terrâ enascuntur; *Syracid*. 38. v. 4. Ex quo loco seorsim Botanicæ antiquitas & præstantia quadantenus resplendet.

§. 7. *Quoad V.* Instruxit nos DEUS quinque sensibus, ut per organa eorum, pulcerrimè conformata, tanquam per portas, sensibiles rerum species efficaci diffusionis sui, animum ingrediantur: instruxit nos intellectu, ut de rebus sensu perceptis, ritè, quàm fieri potest, judicemus: voluntate denique, ut per hanc ad consequutionem summi Boni non minùs, quàm Sapientiæ veræ possessionem sensim adducamur, per vias tot, quot sunt Creaturarum species, & gradus viarum tot, quot specierum dotes, usque dum ipsam acropolin omnis perfectionis penetremus, & perceptâ cognitione rerum abundantissimâ, DEO

quamsimiles reddamur prout jam olim *Hippocrates*, quantumvis Ethnicus, medicum philosophum tamen, h. e. Naturæ rerum gnarum, (& quoad vitam probum) non dubitavit, *ἰσθ' θεοῦ* appellare, in libro de decenti habitu. Confer Chir. Infus. defens: resp. ad Dub. 7. §. 14. pag. 198.

§. 8. Interim ob inexhaustam earum copiam accedit, ut naturâ duce, Novitatis & plura indies discendi studio trahamur; cui accedit etiam proprius amor nostri, qui efficit, ut sicut in aliis securitatem quærimus, sic sanitatis possessionem inter thesauros Mundi maximos jure merito referamus, nullusque Orbis habitati angulus propemodum sit, cujus incolæ, quantumvis nullâ culturâ Medici, ferente casu tamen non audeant, contra varias imbecillitates corporis, hæc aut illa præsidia, tanquam usu probata, commendare & ambire officium Medici, etiamsi in Arte ipsa ne micam aut syllabam gustarint.

§. 9. *Quoad VI.* Nonne intimè nos norit, qui fecit nos? quiq; ut exstat *Matth. 10. v. 30.* vel pilos capitis nostri numeravit? qui Renes nostros, & ipsa animi cogitata scrutatur perfectissimè? *Psal. 7. v. 10.* & *Pf. 26. v. 2.* *Jerem. 11. v. 20.* & *cap. 20. v. 12.* *Apocal. 2. v. 23.* cui non erat absconditum quoddam ossium nostrorum, cum formaremur in profundo Terræ? *Psal. 139. v. 15.*

§. 10. *Quoad VII.* Porro quemadmodum Figulo licet, rumpere vas, quod modo fecit, aut pro lubitu in formas has aut alias mutare; ita Morbos ac Mortem vel abactam divinitus, vel poenæ loco acceleratam, non semel in *Codice Sacro* legitimus, in genere quidem, *Sapient. 16. v. 13.* ubi DEO tribuitur potestas Vitæ & Mortis; sigillatim verò, dum idem DEUS ter opt. max. dicitur nunc foecunditatem dare

dare fidelibus ac piis *Psal.* 113. v. 9. & abortum prohibere, *Esai.* 65. v. 23: nunc à peste, (*Psal.* 91. v. 6:) draconum morfu (*Sapient.* 16. v. 10.) tumore pedum & lassitudine (*Deuter.* 8. v. 4.) ipsâque morte, defendere, *Psal.* 170. v. 20. & vitam prolongare (*vid. b. l. §. 5.*); aliis verò morbos varii generis, tanquam tela & spicula iræ suæ (*Job.* 6. v. 4.) Tumores, Febres, Icterus, &c. (*Deuter.* 28. v. 22.) & denique pestem, morborum morbum, Furiam nocentissimam, morteque ipsâ atrociorē, immittere vel minari, *Deuter.* l. d. v. 21, 2. *Cbron.* 22. v. 12. & 2. 7, 13. *Jerem.* 14. v. 12. c. 21. v. 6. c. 27. v. 9. & 13. c. 44. v. 13. *Ezech.* 5. v. 12. & 17. c. 6. v. 12. c. 7. v. 16. c. 14. v. 19. & 21. c. 28. v. 23. c. 33. v. 27. c. 38. v. 22. *Amos* 4. v. 10. & *Habac.* 4. v. 5.

§. 11. Cæterum, *Quoad VIII*, Notissimum est illud *Syracidæ* 38: *Honora Medicum, quia DEUS creavit eum.*

§. 12. *Quoad IX*. Expressè ac statim ibidem (v. 2.) subjungitur: *Medicina à Domino venit; Regesque Medicum honorant.*

§. 13. *Quoad X*; referantur huc loca de *Christo*, ex *Matthæo* tantum, initio *Exercitationis* præsentis allegata: in quorum aliquibus dum *Salvator* dicitur hos, in aliis alios, & alteribi omnes morbos perlanasse, (1.) *existimandum non est*, quod nullus fortè *Ægrotus* in totâ regione remanserit; sed quod nullius ægri, ad *Christum* allati, ac *Sanitatem* ab ipso perentis, *Morbus* tam pertinax gravisvè exstiterit, qui nutibus *Ejus* cedere non fuerit coactus: capiendumque hic totum negocium vel phrasin (*omnis morbus*) pereruditè *Prücknerus* (in *Vindiciis*) admonet non de singulis generum, sed de generibus singulorum. (2.) per vocem ἰεργάπτευσιν, ἰεργάπτευσιν, ἰεργάπτευσιν &c. in textibus alla-

allatis occurrentem, non in specie intelligitur sanatio, quæ facta fuerit per medicamenta tantum, ut sic reliqua medendi auxilia, (Diæta videl: & Chirurgia) sint excludenda; sed in genere medicatio qualiscunque, cujus diversi modi in sequentibus distinctim perpendentur.

§. 14. *Quoad XI: Christum Apostolis suis notanter potestatem dedisse, sanandi Ægros, ex Matth. 10. v. 1. & 8. constat; super quem locum inferius pluscula addentur de Mose, Prophetis, Apostolis, & aliis Viris probis, Principibus item, & ipsis Angelis, vi divinà Medicis.*

§. 15. *Quoad XII: cum ad rectam Diætam præter alia requiratur moderamen in Cibo & Potu, Somno & Vigiliis, Affectibus animi &c. (1.) modicum Ciborum apparatus, tanquam Naturæ humanæ convenientissimum, & procul à luxuriosâ varietate constitutum, adhibitum legimus Genes. 18. v. 6. 7. 8. Johann. 6. v. 11. (2.) ac in Potu luxuriam vitandam, tanquam *αιουρίας* parentem, Apostolus seriò admonet Epbes. 5. v. 18. confer Lucæ cap. 21. v. 34. (3) Per *vigilias* verò immodicas, curis secularibus contractas, Somnum averti, & vires corporis consumi, exstat Syracid. 31. v. 1. 2. (4.) immò per *Mærorem* ipsa Ossa exsiccari, vide Prov. 17. v. 22.*

§. 16. *Quoad XIII. Morte mortuus est Assa, quod ægrotans non quæsiverit DEUM, sed Medicos: 2. Chron. 16. v. 12.*

§. 17. Et hæc sunt, quæ hucusque videbantur, pro declarando *Ortu Medicinæ planè Divino* non incommodè in medium afferri posse. Quibus posthabitis si qui tamen sunt (uti plurimi sunt) qui saluberrimæ Arti & Medicis, calumniosè ac ludicrè insultant, repetant, quod paulò antè

antè (§. 11.) ex *Siracid.* 38. allatum est; & addant, quod in ejusdem capituli v. 4. statim annectitur: *Facit Dominus Medicinam germinare ex Terrâ; & sapiens non contemnit eam.*

§. 18. Stultus itaque, immò calumniator longè pessimus est *Henr: Cornelius Agrippa*, qui, ut medicos fortè malos quospiam liberè castiget, totum Jâtricum ordinem, convitiis stringit gravissimis, & nunc Medicinam Homicidiorum Artem (*lib. d. Vanit. scient. c. 82.*) nunc Medicos, Homines omnium scelestissimos, discordantissimos, invidentissimos, mendacissimos, contagiosos, sordidissimosque (*cap. 83.*) nunc alio nomine aut epitheto ignominioso vocat. Cujus verò eximias laudes, ipsi suo libello jam-dicto præfixas, (quod bene sit) videamus:

Inter Divos nullos non carpit Momus:

Inter Heroes monstra quaque infectatur Hercules:

*Inter Dæmones Rex Erebi Pluto irascitur
omnibus Umbris:*

Inter Philosophos ridet omnia Democritus:

Contrà, deflet omnia Heraclitus:

Nescit quaque Pyrrhias:

& se scire putat omnia Aristoteles:

Contemnit cuncta Diogenes.

Nullis hic parcit AGRIPPA:

*Contemnit, Scit, Nescit, Flet, Ridet, Irascitur,
Infectatur, Carpit omnia,*

Ipsè Philosophus, Dæmon, Heros, DEUS, & Omnia.

§. 19. Seorsim verò Medicorum veterum Principi *Hippocrati*, ab aliquibus, quod Templum *Æsculapii* malitiosè incenderit, objicitur. *Thessalo Tralliano* Superbia:

D

eadem.

eademque, sicut & contradicendi studium, Galeno impu-
tatur; *Asclepiades* & *Averrböes* jactantiæ arguuntur: *Aristo-
teles* ambitionis, ac, quod Medicinam profanaverit venefi-
cio: *Archigenes*, *Herophilus*, *Erasistratus*, *Vesalius*, crudelita-
tis & homicidii accusantur: *Avicenna* libidinis & Magiæ;
sicut magiæ etiam *Cardanus* & *Petrus Aponensis*: *Paracelsus*
ejusdem, & impietatis cujuscunque alterius; superstiti-
onis item, ac mendaciorum reus æstimatur; fuisseque
quidam *Tiberij Cas. Medicus* scribitur perquam bibulus: a-
liis medicis, veteris ac recentioris ævi, vitia alia, dicaci-
tas puta, inscitia, inconstantia, astutia, furtum, impo-
sturæ, invidia, avaritia, & nullum non aliud anomalix ac
scelerum alphabetum, exprobrantur: sed paucissima ho-
rum Veritatis suffragio nituntur; quin potiùs mendaciter
sunt efficta; pleraque verò ritè explicanda; & omnia de-
nique, si distinctim examinari debeant, requirunt copi-
am temporis, quàm nunc, majorem.

§. 20. Unde Clarissima Medicorum nomina à sibi
illatis *calumniis* distinctim vindicare, ad aliud tempus re-
servamus: nec quicquam etiam addere hîc (prolixitatis
fugâ) volumus de Medicis econtra maximo alteribi in ho-
nore habitis; de ortu divino *Medicina* juxta *Veterum gentili-
um* traditionem, ac *diis Medicis*; nihil de *Incubatione in Fanis*
eorundem, sanitatis recuperandæ ergò, aut *Oraculis* per vi-
gilans somnium superstiosè captis; cujusmodi ritus per-
fectissima imitatio adhuc penes *Pontificios* habetur, ut o-
vum ferè non sit ovo similis; sed quæ consuetudo ex pra-
vè acceptâ consuetudine *primitiva Ecclesie Christiane* fluxit,
quâ *Ægri* plurimi vel ipsi appropinquabant *foribus templi*,
vel eò portabantur, nec intromittebantur, ne valetudi-
ne

ne suâ adversâ aliis officerent: confer *Actor. 3. v. 2.* Nihil denique de ritu etiamnum familiari, & laudando quantumvis, agam, quo *in ipso Templo* passim *Vota* per os Sacerdotis *pro Ægrotantium Salute* ad DEUM fiunt; cui simile quid vide in Epistolâ Jacobi c. 5. v. 14: quin hinc tandem abrumpendum, & quas Meditationes Jâtricas Evangelicus textus porrò nobis suppeditet, videndum.

EXERCITATIO V.

De Lunaticis: Matth. 4. v. 24. & cap. 17. v. 15.

§. 1.

EX omnibus illis ægris, quos à *Christo* sanatos, sub initium prægressæ Exercitationis ex *Matthæo* attulimus, primò jam nominantur *σεληνιαζόμενοι*, vel *Lunatici*. Quâ occasione Modum quidem, quo illi curati fuerunt, hinc non prosequemur, quando quidem supra humanus exstitit, ac miraculosus; & hinc explicandus Theologis potius, quàm Medicis, relinquitur: De modo afficiendi tamen, & quid propriè fuerit *Lunatica passio*, à quibus causis communiter oriatur, quibus signis cognoscatur, & quomodo ab aliis affectionibus præternaturalibus Corporis humani differat, maximè omnium tractare Medici est, quoniam hi directè de Morborum ac Symptomatum naturâ, subjecto, causis, signis, differentiis, & curatione (humanis viribus concessâ) agunt; multumque refert, voces & res Medicas in textu Biblico hinc inde occurrentes, ritè explicari, ne e. g. Lunatici pro furiosis, Paralytici pro Apoplecticis (ut falsò facit *Grotius*) aliis affectibus detenti pro aliis, vel causa Morborum una pro alterâ, vel Symptoma unum pro altero,

e. g. Paralysis Dolorosa famuli Centurionis Capernaiticæ (quæ spuria erat, peculiaris, & indubiè Scorbutica) pro paralyfi verâ, communi, & doloris alias experte, multaque alia pro rebus planè diversis habeantur.

§. 2. Ad *Lunaticos* itaq; Novi Testam. quod attinet, quorum mentio fit *Matth. 4. v. 24. & cap. 17. v. 15.* vel *σεληνιαζομύχς*; nomen ii habent *ἀπὸ τῆς σελήνης, à Lunâ.* Quæ sicuti plurimum valet ad corpus humanum modò hâc, modò aliâ ratione afficiendum; ita sigillatim quibus Cerebrum imbecillius est, noxam ejus per intervalla quandoque haut parum sentiunt, sive quòd *Luna* peculiariter cum Cerebro conspirat; sive verisimilius, quod eadem certo modo ac tempore massam sanguineam commovens, occasionem suppeditat, ut alterationem in illum introductam phænomena etiam valetudini humanæ prorsus incongrua, in cerebro ac Nervis, latice spirituofo, ab arteriis deciduo, irriguis sequantur. Cujusmodi Tempora Cacodæmon, Naturæ citra dubium callentissimus, in Obsessis ad CHRISTUM allatis, fortassis occupavit, iisq; pessimè abutens, miseros *ἐνεργεμύχς* periodicè afflixit, DEO sic permitte.

§. 3. Nam citra Diaboli malitiam quoque communiter observamus, e. g. Vulneratos, Febricitantes quosdam, Phreniticos, Maniacos, & præ his omnibus *Epilepticos*, juxta distinctas *Luna* phases, vel ejusdem cum Sole aut aliis Planetis conjunctiones modò atrociùs, modò mitiùs corripì; & ad malum hoc proclives esse, qui vel frequentius radiis Lunaribus tacti dormiunt, vel sub Eclipsi Lunari, Interlunio, aut Novilunio concepti sunt aut nati. Unde *Epilepsia* tam recentioribus Medicis, *Philatbeo Eliano Mentalro* (de Morb.

Morb. Capitis, Tract. 17. Cap. 1. pag. 674.) *Francisco Hildesheim* (de Morbis Cerebri, spicileg. 7. p. m. 553.) *Cass. Hofmanno* (lib. 3. Instit. Med. cap. 88. §. 1.) *Job: Jonstano* (in Ideâ Med. Pract.) *Thom. Bartholino* (Cent. 2. hist. Anat. 72.) ac aliis, quàm ex paulò Antiquioribus, *Tralliano*, *Q. Sereno*, *Cælio Aureliano*, &c. *Morbis Lunaris*, *Lunaticus*, *Interlunius*, aut alius similis appellatur: acceptâ videl: Morbi appellatione non strictim, quatenus Causæ Morbificæ & Symptomati contradistinguitur; sed latè, ob rationem, ex his verbis & suffragio *Hippocratis* (lib. d. Flatibus:) petendam: *Ne longè abeam, Fames morbus est. Quicquid enim Homini molestiam affert, Morbus appellatur.*

§. 4. Vel Diabolus etiam ipse malum intulit, humores Corporis ita turbando & concitando, ut ad suppetendum istum affectum determinarentur; uti non absurdè suspicatur *Cass. Schottus* lib. 4. Phys. Cur. cap. 10. §. 2. sicque *Lunaticapassio* utique fuerit non merè ac purè naturalis; sed vel à Dæmone obsidente invec̄ta, vel ab obsessuro priùs inventa. Unde *Helmontius* (capite, quod inscribitur, *Demens Idea*, §. 38.) Notandum, ait, *Lunaticum sanari non potuisse, nisi simul ejecto spiritu immundo, sive hic comes fuerit astri nocturni, sive demum principalis effector.*

§. 5. Quicquid verò sit, in speciem Morbi tantùm hic inquiramus. Ubi *Epilepsiam* notari, de quâ paulò antè (§. 3. h. l.) egimus; vel, *Lunaticos*, à *Matthæo* dictos, *Epilepticos* fuisse, tùm Interpretes commodè admonent, tùm res ipsa suadet, si gravissimum illud Symptoma, in *Epilepticos* optimè quadrans, cujus *Evangelista* (c. 17. v. 15.) meminit, iteratum videlicet prolapsus in Ignem & Aquam, attendamus, & pleniorẽ imprimis locum *Marci*

(cap. 9. v. 18.) addere nobis liceat, ubi expressè quidem *Lunatismi*, aut *Lunatici* ullius mentio non fit; jactatio tamen Corporis vehemens, sputatio, stridor dentium, tanquam signa & symptomata Epilepticorum valdè propria (imprimis in suâ syndrome spectata) distinctim afferuntur; sicut idem etiam (excepto stridore dentium) apud *Lucam* cap. 9. v. 39. videre est.

§. 6. *Tremellius*, Paraphrasten Syrum (*Matth.* 4. v. 24.) sequi volens, *Lunaticos* interpretatur, in numero singulari, *Filium Agrorum*, h. e. filium agrestem, notante *Eximio Fullero*, (lib. 2. Miscell. sacr. c. 17.) cui verò interpretatio hæc non sine causâ displicet.

§. 7. At, quid si alii fortè *Lunaticos* illos per Maniacos interpretentur? cùm Maniam quoque, vel Furiosorum raptus exasperari à Lunâ non minùs, quàm Epilepsiam, constet jam à priscorum tempore, penes quos ob hanc ipsam causam *Luna*, sicut *Ceres* alioquin etiam & *Bacchus*, notante *Taubmanno* (ad *Plauti Amphitr.* pag. 67. a. 2.) *Nympha* item (unde *Lymphatici*; vide *Vossij Etymologicum*) *furoris Presides* credebantur. Ut sic non valdè opere succensere habeamus *Bezae*, quod (comm. ad *Matth.* 17. v. 15.) ab unâ parte Comitiale Morbum, seu *Epilepsiam*, ab alterâ verò etiam *Furorem*, interpretationis gratiâ subinfert.

§. 8. Quæ duo pathemata, præterquàm quod ratione causæ tam naturalis, (*Lunæ*) quàm supra-naturalis, (*Diaboli*) antiquitùs convenerunt; communiter quoq; familiaritatem quandam habere videntur, ratione Symptomatum, quæ adhærent, Inquietudinis videlicet, Ingentis & validi roboris, ac Vigiliarum: in pluscùlis aliis tamen tantò magis discrepant.

§. 9. Nam (1.) *Maniaci* in eodem, quo malè afficiuntur, loco proprio ædium, habitaculi, campi, aræ, &c. non permanent, aut manes istiusmodi suos à principio usque ad finem ibidem patiuntur; sed aliunde eundi habent vim, & ad loca urbis varia, prata, campos, deserta, &c. ludicrè excurrunt, ut compedibus, quàm fieri potest, & catenis sint refrænandi: *Epileptici* in eodem loco, stantes aut sedentes, cadunt, eandemque tragœdiæ suæ scenam servant. (2.) In *Maniacis* semper adest insignis ferocia & audacia; ipsique omnibus modis à consuetudine hominum abhorrent: *Epilepticis* perinde est, sive soli alicubi sint, sive præsentibus habeant mali sui spectatores; quos sic nec vident, nec cognoscunt, nec amant, aut reformidant. (3.) *Maniaci* absurda sæpiùs loquuntur, & clamant turpiter: *Epileptici* plerumque tacent; vel, si quandoque vocem emittunt, incondita tamen ea est, gemebunda, neque sat articulata. (4.) singulare *Maniacis* hoc esse dicit *Helmontius* (l. antè d. §. 42.) ut nudi utcunque cubent humi, vel in marmore pernoctent, severissimo Boreæ flatu non glaciuntur, aut quoad artus emoriantur: *Epileptici* vestiti se non nudant: nec à frigore summo (ferente sic tempore) sunt illæsi: Quidam verò eorum, Autore *Hofmanno* (lib. 3. Inst. Med. c. 88. §. 3.) dicunt, se sentire strepitum aviculæ, per Cerebrum volantis. Denique (5.) modò-dictus *Helmontius* (§. 39.) testatur, Lunaticos, vel *dæmoniace-Maniacos*, à se observatos, post paroxysmum fuisse actorum omnium memores; & in paroxysmo tantùm discursu mentis spoliatos, dum uni tantùm conceptui, tanquam puncto, affixi hæserint, quod intuerentur, tanquam in speculo, neque, dum facerent hoc, se hoc facere

sci-

scirent: *Epileptici* contra, iudice citato *Hofmanno*, post paroxysmum nullius rei memores sunt.

§. 10. Ex quibus & similibus maxima utique inter *Maniam* & *Epilepsiam* differentia apparet. De quâ verò plura hic dicere nil attinet, imprimis quod de Signis & Symptomatibus *Epilepsie* seorsim libro 2. ad Marc. 9. v. 17. & de *Maniâ*, Furore, ac *Dæmoniacis*, ibidem ad Marc. 5. v. 2. 3. uberius agetur. Plusculaque tantisper de *Lunaticis* (quantumvis falsa quadantenus veris mista) vide, si placet, apud *Vallesium*, *Philos. Sacr.* cap. 71. ad illud *Ecclesiastici*, cap. 27. v. 12: *Stultus sicut Luna mutatur.*

EXERCITATIO VI.

(*De Paralyticis, Matth. 4. v. 24.*)

§. 1.

P*aralyticorum* aliquoties apud Evangelistas mentio fit: in adducto quidem loco *Matthæi* collectim, & sub solo morbi nomine, ubi de pluribus ægris agitur à **CHRISTO** perfanatis: alibi verò seorsim, de certis quibusdam Individuis, ut videre est *Matth. 8. v. 6. seq. c. 9. v. 2. sequ.* & *Lucæ 5. v. 18.* Atque apud eundem *Lucam* quidem, initio cap. 7. & *Jobannem* cap. 5. quoque exstat historia *Paralytici*; sed sine mentione Morbi. Unde tam de his, quam reliquis distinctim suo tempore agetur.

§. 2. Interim quod præsentem locum *Matthæi* (cap. 4.) attinet, supersedere poteramus à Medicâ ejus explicatione, nisi *Hugo Grotius*, in Annotationibus, ἄγλυπτος vertisset *Sideratos*, sicq; ab Interpretibus reliquis omnibus

bus, quicunque in Latino Paralytici vocem servarunt, divortium aliquod fecisset. Quàm bene, aut juxta modernum loquendi usum, mox liquefcet, postquam, quid *Paralysis*, quid etiam *Morbus sideratus* dicatur hodiè Medicis, & quanta inter utrumque affectum vel convenientia, vel differentia sit, breviter fuerit explicatum, haud anxie attendendo, quod *Celsi* ævo utrumque *ῥάλυσις* appellaretur; ut videre est lib. 3. c. 27: cum quo confer *Heurnianus* d. Morbis Capitis, cap. 23. p. m. 258. b.

§. 3. *Paralysis* itaque Medicis Privationem Motûs voluntarii in partibus corporis humani, ad motum aliàs determinatis, nunc unâ, nunc pluribus, denotat, ortam, ob influxum Spirituum animalium vel denegatum, vitio nervorum, vel particulis heterogeneis & quasi Narcoticis, sensum etiam obtudentibus, infectum. Diciturque *ῥάλυσις*, ἀλύω, solvo, vel laxo, quod robur Nervorum ac Musculorum in eâ affectis resolvatur; Nervorum quidem ex vertebriis Cervicis & partim Thoracis, prodeuntium, si brachia & manus motu destituantur; ex vertebriis lumborum autem, & ossis sacri, si pedes; ex Cerebro, si Larynx, Oculi, aut lingua.

§. 4. Per *Sideratum* verò *Morbum* intelligunt *Aplexiam*, affectum corporis humani atrocissimum, acurrissimumque, talem nempe, quo videmus, actiones animæ animales omnes, h. e. Intellectum, Sensus, ac Motum, exceptâ Respiratione. (quæ utcuque permanet, cum Stertore) subitò à causis certis intercipi ac aboleri, Ægrumque, ad Ecstasin periculosam actum, instar Saxi immobilis, trunci, vel victimæ ad Aram cæsæ, sine ullâ
E rerum

rerum perceptione, procumbere, aut prout ad humum sterni solent, qui fulmine cœlitus feriuntur.

§. 5. Quapropter *Sideratum* appellant. Veteres enim Fulgur deciduum, sidus esse arbitrabantur, quo tacti subito prosternerentur & obmutescerent, juxta illud *Martialis* lib. 7. epigr. 91:

Hoc opus est, subito fias ut sidere mutus.

Vel ex Sideribus Ignes defluere; qui ferire aut lethaliter afflare solerent plantas ac animalia, tanquam fulmine; vide *Job. Wouwerium*, notis ad *Petron.* p. m. 338. Hinc *Siderata arbores*, sidere, h. e. Caniculâ, percussâ, præsertim Ficus ac Vites, ut habet *Plinius*, lib. 17. cap. 24. *Sideris* enim nomine Græci κατ' ἐξοχὴν Caniculam intelligunt, ut *Vossius* in *Etymologico* suo notat.

§. 6. Sicque *Apoplexia* alio nomine etiam *Morbus Attonitus* vocatur *Celso* lib. 3. cap. 26. vel *Affulguratio* aliis: quamvis tam Paralytici, quàm Apolectici valdè etiam differant ab his, qui fulmine sunt tacti. In his enim Syncope ac cessatio pulsûs, cadaverosa facies, odor Sulfureus ac Nitrosus: in illis, præter Syncofes speciem fortè, reliqua non æquè semper percipiuntur.

§. 7. Sed imprimis *Paralysis* & *Apoplexia* differunt inter se, tam ratione partis, quàm modi afficiendi. Unde nomina hodiè imprimis non sunt confundenda. *Ratione partis affectæ* enim in Paralyti non universum Corpus, sed aliqua, (nunc major, nunc minor) ejus portio; in Apoplexiâ verò totum corpus, afficitur: *Ratione modi*, in paroxysmis Apoplecticis cessat cum motu Sensus: *Paralysis* fit ut plurimum cum stupore tantùm partis, ita ut *Sensatio-*

fatio non omnimodè tollatur. Immò Scorbuticorum paralyfis frequenter cum acutissimo dolore conjungitur.

§. 8. Notissimum interim, & in confesso est, *Apoplexiam* sæpissimè in *Paralyfin* alterutrius lateris abire, tanquam in Symptoma minoris periculi, seorsim dein abolendum. Unde factum antiquitùs, ut Apoplexia habita fuerit pro universali quadam Paralyfi; & Paralyfis pro Apoplexiâ particulari, Linguæ videlicet, brachii, aut pedis, dicta proin etiam *ἡμιπληγία*, *ἑξαπληγία*, vel *ἑξαπληξία*.

§. 9. Hodie verò consultissimum videtur, nomina eo sensu accipere, quo *Ulus*, vocum magister, ea rebus imposuit: & quemadmodum *Morbi siderati* nomen ad *Apoplexiam*, ita *Paralyfin* ad Resolutionem Nervosarum Partium particularem restringere: quia, si unicuique liceret, voces quaspiam, strictiùs acceptas, extendere ad sensum laxiorem, distinctione verbosâ semper opus foret, aut certè tam *Morbis sideratus*, quàm *Paralyfis*, pro resolutione nunc universali, (seu Apoplexiâ) nunc particulari, seu Paralyfi, in specie & canonicè sic dictâ, indifferenter haberetur; Id quod Confusionem implicat. Quid itaque opus erat magni *Grotij* ingeniosâ nimis paraphrasi, ut deflectens à communi viâ Interpretum, voculæ *τῶν ἑξαλυτικῶν*, *Sideratorum* substitueret appellationem?

EXERCITATIO VII.

De Sale fatuo, Matth. 5. v. 13. Luc. 14. v. 34.

§. 1.

Quantumvis *Salvator*, ut doceat, debere eos, qui veræ Sapientiæ præcepta hausissent, aliorum vitam laudabili

bili exemplo & doctrinâ emendare, nec ipsosmet correctione indigere, *Similitudinem à Sale* petat, ejusque absterforiam vim ac usum ad condiendos Cibos adhibeat loco symboli, ad animam ab omni malitiâ aut impuritate, tanquam putredine, vindicandam, si rectè *Ipsam* velint consequi: brevitatis studio tamen jam nihil de præstantissimo isto *Salis* usu dicam, quod tractationem talismodi locus quidam Evangelicus alius (*Marci 9. v. 50.* nimirum) ad se rapiat, ut ex libro 2. hujus Opusculi patebit. Quin, breviter tantùm hic, quid per *Infatuationem Salis* in præsentibus versiculis *Matthæi* ac *Luçæ* intelligendum sit, examinandum venit.

§. 2. Utrobivis enim exstat: *εάν τὸ ἅλας μωραυνθῆ.* Hanc phrasin *Vulgata* versio sic reddit: *si Sal evanuerit.* Æthiopica hunc in modum: *si Sal putruerit.* Persica & Arabica: *Cum corruptus fuerit Sal.* Sed *Beza* his omnibus multò rectiùs, & ad literam propriùs: *si Sal infatuatus fuerit.* Explicatque hanc suam paraphrasin hisce verbis: *si omni acrimoniâ deperditâ, quâ res cæteras solet adversus putredinem condire, insipidus evaserit.* Quâ *Infatuationis* voculâ *Job: Wigandus* etiam utitur, in *Consideratione Method. & Theolog. de Sale*, annexâ *Historiæ de Succino Borussico*, pag. 146. b. *Quemadmodum*, inquit, *sal infatuatum, hoc est, non mordens, non purgans* (intellige, non abstergens) *non vitam naturalem exstimulans, nulli usui est, sed cum indignatione hominum projicitur foràs, ut concultetur: sic ait Christus &c.*

§. 3. *Evanescentia* sanè *Salis*, quàm infert *Vulgata* versio, vix hic locum invenit, quoniam vocula hæc

con-

consumtionem illius omnimodam, & translationem in auras vel aliorum, simpliciter involvit; & illud, quod semel evanuit, quodque in minima est resolutum, impalpabile amplius est, nec foras ejici, aut pedibus conculcari potest. Ita enim in Textu sacro additur. *Matth. 5: Ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, & conculcetur ab hominibus.* Ergò aliqua tantum Qualitatum mutatio indigitatur, & *corruptela*, juxta citatam paulò meliorem eam tenens versionem Persicam & Arabicam.

§. 4. Nec non *Putredo*, quam Æthiopica paraphrasis inculcat, paulò longiùs à scopo abit. Si enim Sal est illud famosissimum, quod putredini præ multis rebus aliis resistat, quomodo ipsum fieri subjectum putredinis poterit? Aut si dicas, posse intelligi tale, quod minùs-depuratum sit, & sordibus, putrilaginem suppeditantibus, adhuc scatus; equistam rudis & pauperculus, qui idem adhibeat cibus condiendis? Expressè apud *Lucam* cap. 14. v. 34. dicitur: *Sal bonum est, &c.* ac intelligitur pro in non quodvis, sed ita bonum, ut ad saliendo cibos jam aptum factum sit. Si verò condimenti hoc genus facilè ipsum putrilagini esset obnoxium, eandem, ut dixi, non tam prohiberet, quàm promoveret.

§. 5. Aut fortassis intelligendum erit *Sal*, spontè in *Aère colligatum*, (id quod creberrimè accidit; imprimis in cellis humidis,) ut præcipuè aliàs facit Vitriolum, Sal Tartari, aliaque multa; vel ipsius etiam culinaria Salis magna copia, exiguâ portione succi raphani irrigata. Verùm hâc ratione Sal sapore suo non privatur, aut ad condiendos cibos ineptum fit; quandoquidem siccun-

E 3

etiam

etiam, ut tantò magis condiat, atque ad abditos poros carniū feratur, de industriâ persæpe in Aquâ calidâ dissolvitur, in muriam hoc pacto transit, & cibis in longam ætatem integrè servandis, utiliter miscetur: Vel sponte etiam in Aère liquatum, levi artificio, evaporatione videlicet humiditatis, ope Ignis, reduci potest ad Siccitatem pristinam, ut minimè opus sit, illud foràs ejicere, tanquam inutile aut fatuum quid, ac pedibus conculcandum dare. Spontaneum Salis fixi liquorem quoque haberi in nobis, cum paulatinâ colliquatione simili partium conjunctam, exemplo Hydropis probabile reddere non dubitat *Andreas Tenzelius*, in Tract. germanico de Peste (cap. 1. C. 1. b.) cujus hæc in Latinum translata sunt verba: *De Hydrope quid aliud dicendum? quæ certè ex naturâ aquosi sanguinis simpliciter non describenda, ideò, quod ægroti quidam plus aquæ dimiserunt, quàm quod vel toti ipsorum molli corporeæ, vel cibo ac potui, toto decubitûs tempore assumtis, & rebus sensibiliter excretis, respondere posset. Quin potius est fractum & liquefactum quoppiam Sal, cui naturaliter aliàs inbæret vera Mumia, Hominem ab omni labe, putredine, & corruptelâ servans: idque non per se, sed ex harmoniâ peculiari Elementorum extraneorum, præcipuèque cæli. Ex his jam antè dictum (fixum Hominis) Sal invisibili modo Aquam attrahit, viresque continuò acquirit in actu suo resolutionis non aliter, quàm Terra Vitrioli, vel Marmor calcinatum, vel Rorella etiam, ac fimus in campis, alliciunt aquam aëris: prout Benzo etiam in Commentario de Canariis, de Mirabili quadam arbore Insulæ Ferro scribit, ex foliis ejus continuo fluore tantum aqua destillare, ut potu ejus omnes ejus regionis incolæ abundè satientur.*

sientur. Annon Aquæ quædam, Chymico more ex Sale
 Vitrioli, & similibus destillatæ ejus indolis sunt, ut pauco-
 rum dierum spacio ex Aëre tantum augmenti recipiant,
 quantum antea ipsis fuit effusione demptum? Id verò im-
 primis Naturæ Salina deberi, ex hoc cognosces, quod omnia,
 quibus Sal mistum est, quammaximè etiam priùs siccata,
 indefinenter tamen madent; nec minùs etiam Sal, etiamsi
 hoc omni aquositate per destillationem privaveris, si libero
 aëri aliquandiu committatur, plusculum illius reddit, quia
 videlicet Aquam Aëris, ad redintegrationem Naturæ suæ
 prioris recipit. Eundem in modum itaque se res etiam de
 Sale in Hydrope habet. Quandiu illud subsistit sub archæi-
 tate Hominis, permanet irresolutum non minùs, quàm ex-
 traneum illud Sal, sub Ignis regimine detentum. Quam-
 primum verò labefactantur, sopiuntur & extinguuntur
 Spiritus Naturales, & tamen madoris plurimum corpori ins-
 super accedit, (id quod non potu largiori solùm, sed per pe-
 culiaria etiam Astra humida Macro- & Microcosmica
 efficitur,) in promptu ac è vestigio adest Diluvium ac Salis
 resolutio, & gradatim res tendit eò, ut totus homo collique-
 scat quasi, & in Aquam vertatur.

§. 6. Sed his missis, Fatuitas Salis tandè verisimil-
 limè in hoc consistit, ut *Wigandi* & *Beze* supra citato-
 rum iudicio, a corem perdat; id quod sponte quidem
 rarissimè accidit; fieri tamen posse, ex præsentè *Mat-
 thæi* loco *Clariss. D. Ol. Borrichius* ostendit, (diff. d.
 Ort. & Progr. Chemiæ, pag. 82) experimenta su-
 peraddens, quibus Sal commune, quod vulgò cen-
 setur immutabile, in Terram insipidam, & viribus,
 præ-

præterquam tenuiter stipticis, cassam redigi possit, obtusis certo artificio ejus aculeis, quò minus Linguam feriant. Saporum enim differentias à distinctis Salinarum particularum figuris & situ, ad papillares linguæ eminentias, delatis, modificari, non *Borricby* tantùm modò - laudati, sed aliorum insuper Autorum, nominatim *Laurentij Bellini*, (d. gustûs organo, cap. 5. 6. & 7 & *Caroli Fracassati*, Exerc. epistol. de Linguâ, p. 189. 223.) hypothesis est; per quam Mercurius dulcis etiam, extemporaneæ acidorum, quorundam liquorum edulcorationes, rerumq; planè corrosivarum alterationes, & conversiones quasi in aliam naturam, ac modi, quo talia se sistant Gustui, haut difficulter explicantur. Sed imprimis ingeniosissimum *Renatum des Cartes*, audiamus, *lib. d. Homine*, §. 14: ad differentias Saporum notandas, e. g. Salem, Aquam acidam, Communem, & Vitæ, afferentem his verbis: *Rigidæ Salis particule agitatae, & ab invicem Saliva motu separatae, Linguae poros punctim, & neutiquam inflexæ, ingrediuntur. Acidæ verò aquæ particule in eosdem ex obliquo influunt, tenuissimas particulas incidendo: quæ tamen in crassiores impingentes, inflectuntur. Illæ verò, quibus aqua communis constat, nullas linguæ partes incidentes, neque etiam altius in poros illabentes, molliter eam solummodò allambunt. Et denique Aquæ vitæ particule omnium altissimè penetrant, motuque celerrimo concitantur. Ex quibus manifestum est, quomodo Anima cæteras Saporum species percipiat. &c.*

EXER-